



PAPULES

VARIOS



58

UNIVERSIDAD DE LA LAGUNA  
BIBLIOTECA

V-244



UNIVERSIDAD DE LA LAGUNA

BIBLIOTECA


C

P.V.

V -24

58

121





Piezas que contiene este Volumen.

Conclusiones Teologicas.

Thesis trilinguo-eruditae, in los Reales estudios de la Corte (1774.)

Theses Theologico-morales, in Canariensis Seminarium.

Tratado de la naturalera, y virtudes de la Cicuta, llamada vulgarmente Cañaeja.

Theses ex universa philosophia quas peres Seminarium Canariense. (1864.)

Acto de contricion de un pecador que se hallaba preso en Madrid al tiempo de la proclamacion del Rey D. Fernando 6.º (en verso.)

Una Señora de Canaria á las de su Sexo.

Susto de la Religion.

Semanario misceláneo, adoptado á las Islas Canarias (1785.)

Un Ciudadano en defensa de los intereses de la Ciudad

de las Palmas, contra las pretenciones injustas del puer-  
to de Sta Cruz, sobre Capitalidad de esta Provincia.

(1842.)

Joh. Bapt. Munoz, de *Scriptorum gentilitium lec-  
tione.*

Junta general de Agricultura, industria y Comercio de la  
provincia de Canarias. (1861.)

Observaciones presentadas à la Comision eclesiastica  
de las Cortes extraordinarias, por D. José Murfi, di-  
putado por Canarias, sobre la permanencia de las dos  
diócesis que hay en ellas. (1823.)

Oficio del Marquer de Villanueva del Prado, al Cabildo  
de Tenerife.

*Theologicas theses, in Seminario Conciliaris Canariensi.*

Observaciones à que ha dado lugar, la publicacion de un  
impreso por el Marquer de las Palmas y el D. D. Valen-  
tin Martiner, sobre elecciones de Diputados à Cortes.  
(1838.)

Papel sobre los acontecimientos que tubieron lugar en  
la Isla del Hierro con motivo de las elecciones muni-

cipales del año de 1841.

La Nación y el Gobierno. (1821.)

Manifiesto de tres Diputados provinciales, sobre la  
expulsion de la Diputacion provincial de Canarias  
de uno de sus individuos. (1843.)

Proclama á la Milicia Nacional de la Isla de la Palma.

Noticia de la Parroquia de San Pedro de Güimar. (1850.)

capitol del año de 1814.

La Nación y el Gobierno (1814)

Manifiesto de los Diputados provinciales de

república de la Piquitica provincia de

de uno de los diputados (1813)

Procedimiento de la Justicia Nacional de la


Victoria de la Batalla de Junco de Juncos (1810)



## §. I.

**T**heologia, quæ nomen græcum est compositum ex *Theo*, quod est *Deus*, & ex *Logos*, quod est *sermo*, idem est, ac sermo de Deo: & cum sermo, seu cognitio de Deo dupliciter haberi possit, naturaliter (hoc est) ex solo lumine naturali; quo sensu Apostolus ad Romanos ait: per ea, quæ facta sunt, invisibilia Dei conspiciuntur, & potest haberi supernaturaliter ex principijs, scilicet, à Deo revelatis: Ideò cognitio, quæ in hac vita haberi potest de Deo, seu Theologia, generaliter sumpta dividitur in naturalem, & supernaturalem. Supernaturalis dividitur ex parte methodi, qua utitur in suarum veritatum explicatione in expositivam, & scholasticam. Scholastica (de hac est sermo) est habitus scientificus habens pro obiecto formali Deum, ut cognoscibilem nobis viatoribus in vel ex Sacra Scriptura. Resol. Doct.

in 1. quæst. 3. pro-  
log. art. 3.



B




## §. IJ.

**O** Altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, exclamavit Apostolus ad Romanos cap. 11. Cum enim Deus sit *in fine simplicitatis, est unitas pura, ut in commento 21. propositionis libri de causis; & vnum verum primum purum ex commento ultimæ propositionis, consequenterque est dives per se ipsum, & est dives magis, ut habet 21. propositio.* Unde nullius indigens, & sibi sufficiens: cum omnes bonitates contineat, ut docet Commentator super caput 16. lib. 5. Metaphysicæ comm. 12. Immo suum esse est bonitas pura ex comm. 9. propositionis, & substantiale bonum, ut inquit Areopagita cap. 4. lib. de Divinis nominibus. Licet autem sit simplicissimus, Sancti Patres, & Theologi, cum quibus N. R. D. in secundo distint. 12. quæst. 2. art. 2. Tenentes esse vnum primum extremum continens totam entitatem, admittunt tamen varias conceptibilitates ipsius. Ita

N. R. D. in 1. dist.

3. quæst. 2.




§. III.

§. IIJ.

**N**R. D. dicente in primo, distinct. 3. q. 2. art. 2. *Ille conceptus, qui intrinsecè specificat Deum in propria ratione, quasi specifica, & in genere substantiæ, est perfectior qualibet alia, quæ non ponit; sed huiusmodi est Deus ut prima intelligentia, &c.* Expres-  
sè videtur velle, quod primitas intelligentiæ super omnes  
alias sit prædicatum vltimum constitutivum Dei in suo esse  
quasi specifico, distinguensque illum à cœteris. Illæ autem  
perfectiones, quæ sunt conceptibiles in Deo, tamquam  
perfectiones huius quidditatis, attributa à Theologis appel-  
lantur, quæ secundum proprias rationes formales (ablatis  
amen imperfectionibus earum) esse in Deo tenemus cum  
N. R. D. in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 1. Quia sub hac  
consideratione sunt perfectiones simpliciter sim-  
plices: eæ namque talis conditionis sunt,  
quod quælibet in quolibet melior  
sit ipsa, quam non ipsa, ut  
ait Anselmus.


\* \* \* \* \*



## S. IV.

**C**um apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, ait Scriptura Divina, unde de fide est Deum posse clarè videri à nobis; sed quòd hoc fieri non possit absque aliqua elevatione potentiae intellectualis, videtur definitum esse in Concilio Vienensi, quam elevationem fieri per lumen gloriae ostendit Scriptura dicens: *In lumine tuo videbimus lumen.* Attenta Dei potentia non ordinata ad actum, seu absoluta posse intellectum creatum videre Deum cum sola excitatione, passione causata ab ipso Deo in intellectu creato defendit. Noster R. D. Celeberrima denique, ac per difficilis controversia est, an possit aliqua creatura fieri à Deo, cui esset connaturalis visio Dei, seu excitatio ad illam? & alijs terminis *an sit creabilis creatura impeccabilis per naturam,* nos vero (conclusio Vespertina) affirmativam tam respectu praecepti naturalis, quam supernaturalis tenemus cum N. R.

D. in 2. dist. 38. quaest. 1.  
artic. 2.



VER-

VERGENTE DIANÆ  
DIE XIIJ. MAIJ.

**R**EV. P. M. Fr. FRANCISCVS SANDOVAL  
Sacrae Theologiae Doctor, ac Prior Conven-  
tus Castri - Julij acutam producet vocem per  
sesqui alteram proportionem musicam, quintam  
scilicet, consonantiam, & quidem bonam, certè  
certiùs sapienter psallens per altissimas causas na-  
turales, scilicet, Angelos, qui virtutes cœlorum  
vocari à Domino Matth. 23. sentiunt plures Patres,  
radicem individuationis requirens sub lumine  
S. Patris Eliæ de quo Malach. cap. 3. *Ec-  
ce ego mitto Angelum meum: Et cap.  
4. mittam vobis Eliam  
Prophetam.*

Dissonantes præveniet  
P. Fr. IOSEPHVS MONTEAGVDO  
Div. Alberti Collegij  
Collega.

S. Epiphan.  
de vit. Prof.

S P L E N D E N T I A D M O D V M  
H E L I O , C V I V S L V M E N  
D O M I C I L I V M .

S. Isid. de Pa-  
trib. vet. test.

S A P I E N T I S S I M O I N T E L L I G E N T I ,  
C V I V S S E R M O D E M O N S T R A T I O .

4. Reg.

S A C E R D O T I M A G N O F I D E P L E N O ,  
D E V O T I O N E S V M M O .

Malach. 4.

P O T E N T I E L E M E N T O R V M N O N S E M E L  
O R A T I O N I S S V Æ E F F I C A C I A M O T O R I :  
S V P R A I P S I V S Q V O Q V E P R I M I M O V I L I S

Apoc. 11.

*leges post tot secula superstiti.*  
Z E L A T O R I D I V I N I H O N O R I S  
E X I M I O .

T E R M A X I M O  
P R O P H E T Æ E L I Æ  
C A R M E L I T A R V M  
P R O T O - P A R E N T I .

**Q**ui surrexit quasi ignis, & verbum ipsius, quasi facula ardebat: qui induxit in populos famem, & irritantes illum invidia sua pauci facti sunt (& exclamans Spiritus Sanctus Eccl. 48. *Quis potest similiter sic gloriari tibi?* (prosequitur) *qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei*) Regibusque ad perniciem deiectis, ac facile potentia illorum contracta: audito in Sina iudicio, & in Horeb defensionis iudicijs: Regibusque vinctis ad poenitentiam: & Prophetis successoribus post se factis: receptus est in turbine ignis: scriptusque est in iudicijs temporum lenire iracundiam Dei. Cuius morte, velut mystici elephantis, percussor ipse Anti-Christus truculentus draco percucietur. ita Malv.  
de Antichr.

Tanto ergo Parenti sua Boetica Provincia has Theologicas  
Conclusiones Bacchonicas D.L.O.S.


§. I.

§. I.

**Q**ui facis *Angelos tuos Spiritus*: dicebat Psalmographus Psalm. 103. Vnde dari substantias spirituales, qui Angeli nominantur, veritas est definita in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, & refertur Canon. *De summa Trinitate, & Fide Catholica*, quarum existentia naturali lumine cognita fuit, licet à posteriori, per Philosophum, & Commentatorem vt patet 12. *Metaphysicæ*. Noster autem R. D. in 2. dist. 17. q. 1. docet Angelos esse actus completos sine materia prima, licet compositos ex actu, & potentia reali *Metaphysica*, intellectu, & voluntate gaudentes, vt constat ex illo *Evangelij*. Matthæi cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est*. Et ex illo 1. *Petri* cap. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere*. An autem numero multiplicari repugnet, est celebris difficultas: Nos verò:

*Non repugnare multiplicationem numericam in Angelis cum N.R.D. defendimus*

Vesperè.




§. IJ.

**A**ngelos Sanctos esse Beatos, constat ex illo citato Matthei ex cap. 7. Dan. ibi: *Millia millium ministrabant ei, & decies millics centena millia assiscebant ei*, & toto Apocalypsi, & alijs libris Sacrae Scripturae, in quo autem actu eorum beatitudo, sicut & nostra, consistat, difficultas est gravissima. N. autem R. M. videtur aliquibus, & nobis etiam, defendere beatitudinem, quoad metaphysicum eius conceptum in perfectissimo voluntatis actu, qui amor & gaudium est circa Deum summum bonum, absque distinctione suae unius entitatis consistere: cum in hoc perfectissimo actu omnimoda irreferibilitas ad alterum actum reperiamus, quam in actu intellectus non invenimus: cognoscimus enim, ut diligamus.

Vnde Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 7. inquit:


*Summa merces est; ut  
ipso fruamur.*





§. IIJ.

**P**otentia voluntatis non solum est finis, sed etiam eorum, quæ sunt ad finem: sicut potentia intellectiva non solum est principiorum; sed etiam est conclusionum: unde sicut quidquid à potentia intellectiva exit, eius denominationem capiens intellectio nominatur: Ita omnis actus egrediens à voluntate, *voluntarium* dicitur, & sic definitur à Philosopho in sensu magis stricto: est à principio extrinseco cognoscente singula, in quibus actio consistit. Cumque secundum hanc definitionem voluntarium duo dicat, scilicet, cognitionem, & volitionem, ex cuiuscumque defectu deficientia voluntarij stricti sequitur: & ita docet Aristoteles in eodem tertio ethicor. cap. 4. quod datur duplex in voluntarium, aliud violentum, & est cuius principium est extra, quando operans, vel patiens nihil confert ad operationem. Ita N. R. D. in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 2. Operatio autem cum carentia scientiæ, *voluntarium*, dicitur, propter ignorantiam, Philosophus loco citato.




C

§. IV.

§. IV.

**Q**uoniam D. Anselmus diffinit liberum arbitrium dicens: *Est arbitrium (hoc est facultas) servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, scilicet, secundum iudicium rectæ rationis, ut exponit N.R.D. Videtur rationem volūtarij cui-cumque actui, etiam beatifico, convenire: & quod magis est actum etiam voluntatis ipsius Dei, & voluntarium, & liberi arbitrij esse. Quod totum tenemus cum N.R.M. in 1. d. 11. & alibi, ac denique in 4. dist. 1. q. 5. art. 3. vbi explanans diffinitionem Anselmi ait: Potestas, libertatis est genus: servandi rectitudinem, separat illam potestatem à potestate servandi aurum, & similia, & quicquid non est rectitudo, & epilogans dicit: Actus, qui est in potestate voluntatis, est actus liber, licet, (suple omnis) non ea specie libertatis, quæ est electio de his, quæ sunt bona contingentia. Audientes autem D. Damasc. lib. 2. de fide c. 24. dicentem: Sed neque illud nos prætereant, quod pueri, & bruta sponte quidem faciunt: Per libertatem supraexplicatam, non spontaneitatem; sed illimitatam quamdam potestatem essentialem voluntati, quia voluntas, intelligimus cum N. R. D.*



CROCEO MARTIS HESPERO  
XIV. MAIJ.

**R.** P. M. Fr. IOANNES DELGADO, SACRÆ  
Theologiæ Doctor, ac Vespertinæ Cathedræ  
quondam Coadiutor Moderator in Insigni Acade-  
mia Hispalensi, & D. Alberti Collegij Regentis, acu-  
tissima quaqua versum voce clarè admodum resona-  
bit, psallens proculdubio sapienter intra ordinem  
hipostaticum, per altissimam causam, gratiam, sci-  
licet, vnionis, gratiam capitis demonstrans, clau-  
densque mirabilem concentum dabit octavam per  
duplam proportionem musicam, complensque cir-  
culum mirabilem, redibit iterum ad principium ad  
Dominum, videlicet, qui dixit: *Ego sum A, & Ω,*  
*principium, & finis.* Præ oculis habens illam magnam  
veri spiritus Magistram, Matrem, ac Sororem nos-  
tram Theresiam, cuius nominis notatio, nempe  
*Ter-es-a*, mirabilem eius in Deum affectivam  
secundum tres præfatos ordines transfor-  
mationem significat; & beneficia ei  
à Deo collata manifestant.

Septimas voces evacuabit

P. Fr. CHRISTOPHORVS SANTIAGO

D. Alberti Collegij Collega.

Ezech.  
cap. 17.

AQVILÆ ALTERI MAGNIS ALIS,  
*multisque plumis, ad quam vinea, ista Carmeli ab illa  
prima Aquila magnarum alarum plantata, quæ vi-  
nea cum germinaret, crevit in vineam, & fructifica-  
vit in palmites, & propagines congregationum, ac  
Sanctorum Prophetarum, Apostolorum, Martyrum,  
Pontificum, Doctorum, Confessorum, ac Virginum,  
quasi mittens radices suas, palmites suos extendit ad  
illam: ut faciat frondes, & portet fructum,  
ut sit in vineam grandem.*

Eccles.  
cap. 26.

MVLIERI BONÆ, CVIVS SPECIES IN  
ornamentum domus eius: lucerna super candela-  
brum sanctum est: sicut Sol oriens in Altissimis  
Dei: in cuius corde mandata Dei æterna sicut  
fundamenta supra petram solidam.

Proverb.  
cap. 13.

MVLIERI SAPIENTI DOMVM SVAM  
ædificanti.

Proverb.  
cap. 31.

MVLIERI FORTI, QUÆ MANVM SVAM  
misit ad fortia, & os suum aperuit sapientiæ.

SANCTÆ VIRGINI, ET MATRI  
**THERESIÆ A IESV,**


QUÆ AB EO MERUIT AVDIRE: *DEINCEPS, VT  
vera Sponsa mea meum zelabis honorem: Et rursus: De hinc, eris  
THERESIA IESV, & ego IESVS THERESIÆ,* vir-  
ginitur eius laudabit eam, iure surrexerunt Filij eius, & Bea-  
tissimam prædicaverunt, iure, inquam, ei Heli-Mariana Pro-  
vincia, has Theologicas disputationes ad mentem R. D.  
exercendas O. H. S. Q. C.

§. I.

§. I.


**P**ossibilitatem Incarnationis insinuavit Archangelus Gabriel, Lucae 1. cum Beatam Virginem alloquens, eamque de huius mysterij possibilitate instruens, dixit: *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum.* Illis enim verbis declaravit omne illud esse Deo possibile, quod capi potest intellectu. N. R. D. in 3. dist. 1. quaest. 1. art. 2. p. 3. tuetur causam praecifam, & proximam possibilitatis vnionis hypostaticae, quantum est ex parte Verbi Divini, esse, quia ipsum secundum suam proprietatem personalem virtualiter, seu eminenter, continentem subsistentiam naturae humanae suppositabilis, est actus sufficiens substantificativus respectu illius potentiae, quam habet natura humana, ut possit subsistere aliena subsistentia: quantum verò est ex parte naturae, assumptae, esse ordinem ex natura rei intercedentem inter esse suppositabile, & suum esse suppositativum.

\* \* \* \* \*




§. I. IJ.

**A** Pertè patet ex Scriptura dicente ad Timotheum:  
*Mediator Dei, & hominum Christus Iesus, qui dedit  
semetipsum Redemptorem pro omnibus.* Quod Chris-  
tus, quantum fuit ex parte sui, sufficienter satis-  
fecit Deo per sua opera meritoria, non solum  
pro peccato originali; sed etiam pro vniversis peccatis ac-  
tualibus, quæ quouis tempore commissa sunt, aut com-  
mitterentur, etiamsi in infinitum multiplicarentur, const-  
tat etiam ex illo Isaiaë 53. *Verè languores nostros ipse tulit, &  
dolores nostros ipse portavit.* Quod verò Christus Dominus suf-  
ficienter satisfecit pro peccatis hominum; non solum quo-  
ad culpam, sed etiam quoad pœnam illis debitam: Quæ  
satisfactio non ita fuit ordinata, quod in nobis ha-  
bere effectum sine nostra cooperatio-  
ne, loquendo in adultis, & in  
omnibus nisi applicetur  
per Sacramenta:  
sustinemus.




## §. IIJ.

**C**hristum fuisse Sanctum, Innocentem, Iustum, ac Deo gratum ab instanti suæ Conceptionis docent Scripturæ Sacræ, sic Ioann. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Luc. 1. *Quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei.* At cum duplex sit Sanctitas, vna substantialis, & increata, quæ competit Deo: alia verò creata, & accidentalis, quæ causatur à gratia habituali, disceptatio est inter Theologos, an humanitas Christi fuerit sanctificata per sanctitatem substantialem, & increatam, vel solum per accidentalem, & creatam? Et dato quod per increatam, an etiam fuerit sanctificata per accidentalem, & creatam. Primum omnes fere Theologi concedunt: Et quod hæc sanctitas sit tam à naturâ Divina humanæ communicata, quam à personalitate, est mens N. R. D. tenentis etiam, sanctitatem accidentalem esse in illo à gratia habituali.



**C**hristum esse caput morale hominum, & totius Ecclesiae, ait Apostolus 1. ad Ephes. *Ipsium dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, & ad Coloss. 1. Et ipse est caput corporis Ecclesiae.* Indubitatum est etiam apud omnes Catholicos, quod hoc competit Christo secundum Deitatem, quia ut Deus, est caput, & Dominus totius mundi, tum quoad influxum internum in homines, qui constituunt Ecclesiam, tum etiam quoad externam gubernationem. Quod autem secundum humanitatem fit caput Ecclesiae, etiam constat ex 1. ad Ephes. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in Cœlestibus, & c. Ipsum dedit super omnem Ecclesiam.* Stante denique dispositione Divina in decretanda Incarnatione, gratiam capitis in Christo attendendam esse, tum penès gratiam vnionis, tum penès gratiam habitualement: principalius penès gratiam vnionis (*Vesperè*) defensamus.



Hispani: Apud IOANNEM DE LA PVERTA,  
in Vico de las Siete Rebeltas.